



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 9. Caroli Carasæ Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

§. IX.

Sæc. XVII.
A. C. 1680.

Caroli Carafæ Cardinalis extrema.

Primam lucem aspexerat Romæ anno Christi millesimo sexcentesimo undecimo Carolus ex nobilissimo Carafarum genere ortus. Hic acerrimi ingenii adolescens haustis politioribus literis primo Protonotarium, ac utriusque ut vocant, Signaturæ Referendarium & Antonii Barbarini in Ferrariensi & Bononiensi Legatione comitem egit. Mortuo autem ejus Patruo Aversanæ Ecclesiæ Episcopus præfuit; inde vero evocatus, sub Innocentio X. & Alexandro VII. in Helvetia primum, postea Venetiis, ac demum in Cæsaris Aula Apostolici Nuntii munere cum summa Principum commendatione, populique applausu defunctus est, atque in laboris meritique præmium ab Alexandro VII. Cardinalis renuntiatus, ab ipso Leopoldo Cæsare Ratisbonæ Cardinalitia insignia recepit. Postea Bononiam Legatus a Clemente IX. decretus, & ab Innocentio X. variis, arduisque negotiis adhibitus, Ecclesiæ utilitatem cum magno proventu ad extremum usque spiritum procuravit; decessit autem Romæ publicis curis ac senio confectus die decima Octobris

*Eggs Purp.
dott. 1.6.*

Hist. Eccles. Tom. LXIV. Hh anno

Sæc. XVII. anno ætatis suæ sexagesimo nono.
A. C. 1680. Scripsit Carafa orationem elegantem de Adventu Spiritus sancti, quam Urbanus VIII. Pontifex, coram quo illam juvenis Carafa perorabat, publici juris fieri curavit: Edidit quoque plures epistolas, necnon acta suorum legationum.

§. X.

Bernardini Rocci Cardinalis extrema.

*Palat. fast.
tom. 4.*

Hujus vestigia preffit Bernardinus Roccius patria Romanus, qui sub Patru sui Cyriaci Rocci Cardinalis cura educatus, omnique scientiarum genere mire excultus, Patrum suum in variis legationibus comitabatur, ac exinde uberrimam publicorum negotiorum cognitionem hauriebat. Postea a summo Pontifice Neapolin Legatus decernebatur, ibidemque dissidia inter Ecclesiasticos ac Regni Ministros exorta feliciter composuit: inde Romanus reversus, ab Alexandro VII. Papa supremus Pontificiæ Aulæ Præfectus nominabatur, hocque munere non sine maximo ærarii Apostolici augmento regnantibus Clemente IX. & X. defunctus est, a quo etiam Anno hujus sæculi septuagesimo quinto Romanus